

dere jubet, quo facilius, si pacis spes abrumperetur, ad bellum necessaria expedire possit. Forocorneliensis Episcopus cum Romam pervenisset, Cæsaris mentem Julio significat; qui crebris Senatus adhortationibus, ac stimulis incitatus, cum omnia prius quam ad bellum descenderet, experiri velle præferret Ascanium Corniam nepotem, ut Regem a sententia deducat, atque ad negotium amice definiendum hortetur, in Galliam mittit. Id Venetorum in pacem studium, atque ad Pontificis animum a belli consiliis avertendum suasiones a sacrati collegii patribus ingenti adeo cum laude excipiebantur, ut summa omnium approbatione Veneti Senatus prudentia, Italiæque dignitatis, ac pacis studium concelebraretur, ac Paulus Terminus Dandulo, ob ea quæ Julio exposuerat, gratias Regis nomine ageret. In iis Galliæ Cisalpinæ tumultibus Hercules Ferrariæ Dux cum in suis prope finibus bellum exarsurum intelligeret, per Hieronymum Seraphinum, ordinarium legatum, consilium, atque opem a Senatu petit: *Quid sibi propinquum admodum incendio faciundum sit, exquirit; bucusque neutrīs addictum fuisse: si quis ad suas partes vi pertrahere conetur, opem, atque auxilium implorat.* Senatus decreto responsum: *Herculis ditiones æque ac Reipublicæ imperium, incolumes, atque ab injuriis immunes optare; quam initio, ut nullè adhæreret, sententiam Patres iniissent, eam, ut ipse sequeretur, bortari; in eo pacem, ac tranquillitatem Italiæ, pro qua retinenda nullum officii genus prætermitterent, sitam esse arbitrii.* Julio vero Senatus gratias agit, concordiae negotium urget. Ille Octavium ab instituta sententia deterrere adnixus, Mediceum Cardinalem, Meliniani Marchionis fratrem, Farnesiis affinitate conjunctum, Parmam mittit, eodem tempore de pace agitat, ac bello incumbit. Farnesiis pacis conditionibus non absentientibus, & in urbe Mediceum subsistere abnuentibus, statim bellum indicere, atque uti legatum curare jubet; complures militiæ præfectos, pecunia erogata, conscribit; ab Ancone, & Arimino bellica tormenta Bononiam convehi imperat; ducenta aureorum millia, quæ a Cæsare ex ecclesiâ Hispaniæ redditibus illi reponenda mutuo accepere, conquirit.

Dum cunctorum pacis, aut belli exitu in ancipiunt sunt ani-

*Ascanius  
Cornia a  
Pontifice in  
Gallia mit-  
titur.*

*Hieronymus  
Seraphinus,  
Herculis  
Ferraria  
Ducis era-  
tor ad Ve-  
tos.*

*Mediceus  
Cardinalis  
Pontifex  
legatus  
Parmam  
mittitur.*